

- (a) *The Sicilians associate Ceres and her daughter Proserpina with Sicily, and believe that it was from a grove near Henna that Proserpina was carried off by Pluto to the Underworld.*

Nam et natas esse has in his locis deas et fruges in ea terra primum repertas esse arbitrantur, et raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Hennensium nemore, qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur. Quam cum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse taedas iis ignibus qui ex Aetnae vertice erumpunt; quas sibi cum ipsa praeferret, orbem omnem peragrasse terrarum. Henna autem, ubi ea quae dico gesta esse memorantur, est loco perexcelso atque edito, quo in summo est aequata agri planities et aquae perennes, tota vero ab omni aditu circumcisa atque directa est; quam circa lacus lucique sunt plurimi atque laetissimi flores omni tempore anni, locus ut ipse raptum illum virginis, quem iam a pueris accepimus, declarare videatur.

(CICERO, *In Verrem* 4.106-7)

peragrasse = travel over
editus = lofty
planities = plateau
directus = sheer

- (b) *Medea murders her brother to delay her father's pursuit.*

Ergo ubi prospexit venientia tela 'tenemur,
et pater est aliqua fraude morandus' ait.
Dum quid agat quaerit, dum versat in omnia vultus,
ad fratrem casu lumina flexa tulit.
Cuius ut oblata est praesentia, 'vicimus' inquit:
'hic mihi morte sua causa salutis erit.'
Protinus ignari nec quicquam tale timentis
innocuum rigido perforat ense latus,
atque ita divellit divulsaque membra per agros
dissipat in multis invenienda locis.
Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto
pallentesque manus sanguineumque caput,
ut genitor luctuque novo tardetur et, artus
dum legit extinctos, triste moretur iter.
Inde Tomis dictus locus hic, quia fertur in illo
membra soror fratris consecuisse sui.

(OVID, *Tristia* 3.9.19-34)

Ovid derives Tomis from the Greek word *temno* = to cut.

(c) *Gracchus falls into a trap set by Flavius, a Lucanian magistrate.*

Gracchus fraudem et sermoni et rei abesse ratus ac similitudine veri captus, cum lictoribus ac turma equitum e castris profectus duce hospite in insidias praecipitat. Hostes subito exorti; et, ne dubia proditio esset, Flavius iis se adiungit. Tela undique in Gracchum atque equites coniciuntur. Gracchus ex equo desilit; idem ceteros facere iubet hortaturque ut, quod unum reliquum fortuna fecerit, id cohoneſtent virtute: reliquum autem quid esse paucis a multitudine in valle silva ac montibus saepta circumventis praeter mortem? Id referre, utrum praebentes corpora pecorum modo inulti trucidentur an agentes audentesque, perfusi hostium cruore, inter expirantium inimicorum cumulata armaque et corpora cadant. Lucanum proditorem ac transfugam omnes peterent; qui eam victimam prae se ad inferos misisset, eum decus eximium, egregium solacium suae morti inventurum.

(LIVY 25.16.15-20)

turma = squadron, troop
cohoneſtare = ennoble

TURN OVER

- (d) *Pyramus finds Thisbe's bloodstained clothing, infers that she is dead, and commits suicide.*

Ut vero vestem quoque sanguine tinctam
 repperit, 'una duos' inquit 'nox perdet amantes,
 e quibus illa fuit longa dignissima vita;
 nostra nocens anima est. Ego te, miseranda, peremi,
 in loca plena metus qui iussi nocte venires
 nec prior huc veni. Nostrum divellite corpus
 et scelerata fero consumite viscera morsu,
 o quicumque sub hac habitatis rupe, leones!
 Sed timidi est optare necem.' Velamina Thisbes
 tollit et ad pactae secum fert arboris umbram,
 utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti,
 'accipe nunc' inquit 'nostri quoque sanguinis haustus!'
 Quoque erat accinctus, demisit in ilia ferrum,
 nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit
 et iacuit resupinus humo: cruor emicat alte,
 non aliter, quam cum vitiato fistula plumbo
 scinditur et tenui stridente foramine longas
 eiacularur aquas atque ictibus aëra rumpit.
 Arborei fetus adspergine caedis in atram
 vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
 purpureo tingit pendentia mora colore.

(OVID, *Metamorphoses* 4.107-27)

pactae ... arboris = the tree at which they had arranged to meet
 fistula = pipe
 morum = mulberry